

ANNO DOMINI CCCCCXCI.

# GENNADIUS

MASSILIENSIS PRESBYTER.

## PROLEGOMENA.

(Ex. Guill. Cave.)

*Gennadius, gente Gallus, presbyter Massiliensis, non, ut male Jac. Gaddius (*De Script. non eccles. tom. I.*, pag. 222) et Gaddio longe antiquiores Sigebertus (*De Script. eccles. cap. 30*) et Platina (*In Vita Symmachii*), presbyter ac deinde antistes Massiliensis. Claruit anno 495, quo Catalogum suum clausit et librum de Fide ad Gelasium papam misit. De studio illius erga fidem catholicam discrepant tam veterum quam recentiorum judicia. Viris sanctissimis cum annumerat Hadrianus papa (*Epist. ad Carolum Magnum*); inter Pelagianos*

A reponit Ecclesia Lugdunensis (*Lib. adr. Joannem Scotum*) ante annos octingentos. Prædestinationis eum quidem inimicum fuisse certo constat, eoque etiam nomine de S. Augustino et Prospero minus bene sensisse videtur (*Vide Catalog. cap. 38, 84*) cum ab iis dogma Prædestinationis propugnari male censeret. Pelagianismi tamen nota eximunt libri ab eo contra Pelagianismi scripti: nec gratia prævenientis necessitatem ab ea sublatam esse (quæ propria erat Semipelagianismi) manifesto liquet: adeo ut scriptoribus catholicis jure accensi queat.

## TESTIMONIA DE GENNADIO.

### WALAFRIDUS STRABO.

(De Rebus eccles. cap. 20.)

*Gennadius Massiliensis presbyter in dogmate ecclesiastico, quasi inter veteres et juniores medius existens, hujusmodi libramine sententiam suam temperat, ut quotidianam eucharistiae perceptionem nec laudare nec vituperare se dicat.*

### ALGERUS.

(De Sacramento euchar. lib. I, cap. 22.)

*Invenitur in libro Gennadii de ecclesiasticis Dogmatibus: « Quotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo nec vitupero, » etc.*

### PETRUS LOMBARDUS.

(Sentent. lib. II, dist. 20.)

*Gennadius in definitionibus ecclesiasticorum dogmatum ait: « Daemones per energiam non credimus substantialiter illabi animæ, » etc.*

### B

### THOMAS AQUINAS.

(Quodlib. 12, art. 11.)

*Liber de Dogmatibus ecclesiasticis non est Augustini, sed Gennadii, qui claruit sub Anastasio imper. anno Domini 490 (*Trithemius de Scriptor. eccles.*, fol. 236.)*

### PLATINA.

(In Symmacho PP. 1.)

*Hujus tempore Ecclesiam Dei multum juvit Gennadius Massiliensis episcopus, diligens Augustini imitator, qui librum de Dogmatibus composuit, et quid cuique ad salutem necessarium esset, declaravit.*

### CÆSAR BARONIUS.

(Tom. II Annal. eccles. ad an. Christi 263.)

*Gennadius Massiliensis in commentario de Ecclesiasticis dogmatibus, qui interdum sancti Augustini nomine perperam invenitur citatus, scriptum reliquit. « Nihil creatum aut serviens, » etc.*

## GENNADII MASSILIENSIS

LIBER

## DE ECCLESIASTICIS DOGMATIBUS.

(Ex editione Elmenhorstii.)

### I CAPUT PRIMUM.

*Credimus unum esse Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: Patrem eo quod filium habeat; Filium eo quod patrem habeat; Spiritum sanctum eo*

*quod sit ex Patre et Filio procedens, Patri et Filio coæternus. Pater ergo principium Deitatis: qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater, a quo Filius natus, a quo Spiritus sanctus non natus*

Digitized by

Digitized by Google